



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Ne episcopus alterius Ecclesiae clericum, audacter inuadere attentet. cix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Ne episcopus precio corruptus alterius clericum ordinare præsumat. Cap. CVI.*

**O**Mnibus ministris ecclesiasticæ dignitatis interdicitur, ut nullus quocunque munere aut favore corruptus, clericum alterius parochiæ latentè ac furtiuè ad ordinationem subintroducere præsumat. Quod si fecerit, iuxta Chalcedonense decretum, is qui mediator extitit, si clericus est, proprio gradu decidat, si laicus aut monachus, anathematizetur.

*Ut episcopus clericos alterius parochiæ nullatenus ordinet. Cap. VII.*

**E**piscopus non constituat presbyteros aut diaconos aliter subiectos episcopo, nisi fortè cum consilio & voluntate ipsius. Si quis autem tale aliquid agere tentauerit, irrita sit eius ordinatio, & ipse coërceatur à synodo.

*Ut nullus episcopus in alterius episcopi parochia ad promotionem ministerij accedere præsumat. Cap. CVIII.*

**N**ullus episcopus ex alia prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerij aliquos in Ecclesiis ordinare, licèt consensum videantur præbere nonnulli, nisi literis tam Metropolitanis, quàm ceterorum, qui cum eo sunt, episcoporum rogatus adueniat, & sic ad actionem ordinationis accedat. Si verò nullo vocante inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus, & ecclesiasticis negociis ad eum non pertinentibus componendis: irrita quidem quæ ab eo geruntur existant. Ipse verò incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc iam damnatus à sancto concilio.

*Ne episcopus alterius Ecclesiæ clericum audacter inuadere attentet. Cap. CX.*

**S**i quis episcopus clericum ad alium pertinentem audacter inuadere, & in sua Ecclesia ordinare tentauerit, non contentente episcopo à quo discessit, is qui regulæ mâcipatur, ordinatio huiusmodi irrita comprobetur.

*De non præsumendis illicitis ordinationibus. Cap. CX. Ex epist.*

**R**elatio nos vestræ dilectionis instruxit, & gestorum series plenius intimauit. Gaudetium Offiniensis Ecclesiæ sacerdotem contra statuta canonum ac nostra præcepta ordinationes illicitas perpetrasse. Quarum illi totam penitus auferri præcipimus potestatem. Scripsimus enim ad

*Simplicii pap. misc. Egiptio Florètio, & Seue. epis. ca. 1.*